



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo

Heislinger, Anton

Monachii, 1745

Casus VI. De præscriptione cum ignorantia, vel errore facta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40155

ficiet possessio civilis, sed erit necessaria possessio mixta : hoc est falsum : ergo & id, ex quo sequitur. Resp. neg. maj. quòd enim civilis possessio sufficiat, docent Covarruvias *Reg. Possessor p. 1. §. unico n. 7.* Lessius *cap. 5. dub. 2.* Et ratio est, quòd plerumque sit impossibile, ut possessio naturalis & civilis simul toto tempore ad præscriptionem requisito continetur : cum ergo, qui civiliter possidet, adhuc dicatur illam possidere *arg. Legi. 9. §. qui ad nundinas ff. de acquirenda possessione.* ex altera verò parte requiratur possessio vera ad præscriptionem, ideo infertur civilem sufficere.

20 Objicitur 5. Talis emptor juxta omnes potuit præscribere dominium utile, & usumfructum talis prædii : ergo etiam

ipsum prædium. Probatur consequens, non est major ratio unius, quam alterius : ergo &c. Resp. disparitatem esse, quòd dominium utile nomine proprio possideat, non autem ipsum prædium.

Objicitur 6. Non potest dici, qualis debeat esse prima possessio alicujus rei, num naturalis tantum, vel civilis ? Resp. non sufficere purè naturalem, quia aliàs famulus deferens pecunias domini foret istarum dominus : nec merè civilis, aliàs solò desiderio pulchri equi fieret possessor equi. Confir. *ex Legge : possideri. de acquirenda possessione.* ibi: *Adipiscimur possessionem corpore & animo, aut per se corpore.* Idem habetur in *Legge : Quem admodum. ff. Eodem. & Legge possideri §. Nerucius.*



Casus VI.

De prescriptione cum ignorantia vel errore facta.

CAjus emit quendam agrum à Titio adhuc pupillo, & postquam eum jam 20. annos possidet, à Titio venditore jubetur

tur sibi eundem restituere, eò quòd ille contractus secum adhuc pupillo factus, & hinc invalidus, præscriptio etiam cum errore, qui usucapienti obest, inchoata fuerit.

Quær. Utrùm Cajus ad restitutionem possessi à se agri obligatus existat.

Synopsis.

1. Præscriptio inchoata sine bona fide positivè tali non valet in conscientia.
2. Alia est ignorantia juris, alia facti.
3. Bona fides ex ignorantia juris, & ex ignorantia facti explicantur.
4. Error alius est justus: alius injustus: alius justissimus.
5. Præscriptio cum ignorantia Theologicè culpabili inchoata, non subsistit.
6. Si Cajus inculpabiliter nescivit, Titium adhuc esse pupillum, subsistit præscriptio.
7. Non autem, si Titium pupillum esse sciens, nescivit contractum cum pupillo initium à jure annullari.
8. Nisi ipse Cajus miles, aut adhuc minorennis fuerit.
9. In quibus circumstantiis Cajus præscripserit, vel non, deciditur.
10. Jura valorem usucapionis non fundant in præscriptione scientiæ juris certi. II. quod LL. probatur.
11. Non tantùm de culpabili juris certi ignorantia loquuntur jura.
12. Quod ignorantia juris certi militibus, & minorennibus non obstat, ostenditur.
13. bene autem rusticis & fæminis.
14. Ignorantia invincibilis juris certi non obest præscriptioni extraordinariæ.
15. Eò quòd ad extraordinariam vi LL. civilium sufficiat fides Theologicè bona.
16. Non omnia jura excludunt solùm Theologicè malam fidem.
17. Num talis saltem fructus rei possessæ faciat suos?
18. Satisfit objectioni ex cap. 9. de donationibus.
19. Invincibilis ignorantia excusat quoad damna, non autem quoad lucra.
- 20.

21. Solvitur objectio ex Lege 25. ff. de donat. inter virum & uxorem.
22. In Lege 25. § 6. ff. de hæredit. petit. malæ fidei possessor non est, qui in jure errat, si de damno vitando, non autem de lucro agatur.
23. alio modo prodest usucapioni ignorantia facti, quàm oblit juris ignorantia.
24. Ostenditur legem hanc etiam in foro conscientiæ obligare.
25. Præscriptio inmemoralis pro titulo habet ipsum tempus longissimum.

Resolvitur Quæsitum.

Utrum Cajus ad restitutionem possessi à se agri obligetur?

UT præscriptio in conscientia valeat, necessariò debet illa fuisse inchoata cum fide bona positivè tali, ut omnes fatentur, hoc est, cum judicio positivo, quo rem possidere, & præscribere volens judicet, hanc esse suam, vel saltem se habere jus aut titulum ad illam rem acquirendam de se idoneum; quòd si

iste titulus reipsa detur, non erit opus ulla præscriptione, quia statim ejusmodi res possidentis fiet: quòd si autem possidere incipiens existimet quidem talem titulum intercessisse, & hoc reipsa fit falsum, tunc intervenit aliquis error, vel ignorantia: error quidem, si absolute judicaverit, titulum, qui non datur, adesse: ignorantia verò, si judicet, probabile aut probabilius esse, quòd detur iste titulus.

Nota 2. Aliam ignorantiam esse juris, & aliam facti. Ignorantiam juris habet, qui nescit legem valori alicujus actûs resistentem; qui autem aliam quandam circumstantiam ignorat, quàm ejusmodi legem, dicitur, habere ignorantiam facti. Ignorantia juris ulterius dividitur in ignorantiam juris certi, cum scilicet ignoratur jus certò existens, & in ignorantiam juris incerti ac dubii, quando scilicet ignoratur lex, de cujus existentia authores inter se disputant.

Bona fides ex ignorantia juris 3
dicitur voluntas inculpabilis habendi rem ut suam, eò quòd falso existimet, licitum esse per le-

G

ges

ges rem cum talibus circumstantiis acquirere.

3 Bona fides ex ignorantia facti est voluntas inculpabilis habendi rem ut suam, eò quòd falsò putet adesse circumstantias, quas novit necessarias, ut rem comparet licitè.

4 Error solet, & potest esse triplex *justus, injustus, & justissimus*. Error injustus est error in jure, quo quis putat, aliquem actum sub tali circumstantia facere, non esse legibus prohibitum: *Justus* autem error est, cum quis errat in facto non quidem proprio (nam error in facto proprio sine alterius inductione commissus est error injustus) sed vel proprio ex persuasione adversarii, vel alieno ex persuasione auctoris dicentis se id fecisse, quo casu hic error dicitur *justissimus*: sicut etiam, si quis succedit alteri dicenti rem fuisse suam, vel ex publica fama, vel opinione viri probi.

5 Dico 1. Si Titius suam præscriptionem incipit cum ignorantia quadam Theologicè culpabili, nullam fuisse illius præscriptionem. Ità Communis. Probat. Si culpabilis ignoran-

tia fuit commissa, tunc non habuit bonam fidem, dum inchoavit præscriptionem: sed si non habuit bonam fidem, præscriptio est nulla, cum possessor malæ fidei nullo tempore præscribat juxta *Regulam 2. de Reg. Juris in 6.*

Dico 2. Si Cajus noster inculpabiliter in hac emptione nescivit, quòd Titius adhuc pupillus fuerit, talis ignorantia non oberit præscriptioni. Probat. Si Cajus ignoravit inculpabiliter, quòd Titius adhuc fuerit pupillus, tunc habuit invincibilem ignorantiam facti: sed invincibilis ignorantia facti non officit præscriptioni: ergo hæc ignorantia non officit præscriptioni. Major constat ex præmissa definitione ignorantia facti, quæ dicta fuit, esse ignorantia alterius rei, quam alicujus legis ejusmodi venditioni resistentis: minor probatur. *Lege 7. & 8. ff. de juris facti ignorantia.* dicitur, quòd ignorantia invincibilis facti alieni non obsit præscriptioni: ergo, cum præter illa, quæ requiruntur à legibus ad præscriptionem nihil sit expetendum, si invincibilis ignorantia facti alieni fuit habi-

habita, non oberit hæc præscriptioni. Dixi facti alieni: cum ignorantia facti proprii leges non agnoscant, sufficientem esse ad incipiendam præscriptionem.

7 Dico 3. Si Cajus optimè sciuit, quòd Titius sit adhuc pupillus, ignoravit autem, quòd leges annullent contractum cum pupillo sine consensu tutoris iniurum, tunc commissus hic etiam invincibilis error oberit præscriptioni, consequenter non potuit præscribere. Ità docent Abbas, Molina, *Tract. 7. summa sect. 5. tract. 1. cap. 8. n. 17.* Palao §. 8. pu. 22. *disp. unica de Just.* Felinus, Fachinæus.

Prob. Conclusio. Jus certum est, quòd talis contractus à jure annulletur: ergo ignorantia hujus juris fuit ignorantia juris certi: sed ignorantia juris certi oberit præscriptioni: ergo ignorantia hæc, qua ignoravit à legibus annullari talent contractum, oberit præscriptioni. Probat. antec. subsumpti: Jura requisiverunt bonam fidem, quæ non sit fundata in ignorantia juris certi: ergo ignorantia juris certi oberit præscriptioni. Prob. antec. ex *Lege 4. & 8.* Item ex *le-*

ge 31. ff. de usurpat. & usucap. & ex Leg. 2. §. 15. pro emptore. In his Legibus expressè dicitur, quòd ignorantia juris in usucapionibus non profit: ergo ignorantia juris certi oberit præscriptioni: cum enim ignorantia juris dubii juxta prolata non oberit præscriptioni, ideo allatæ leges loquuntur de ignorantia juris certi.

Dico tamen ulterius 4. Si 8 Cajus noster etiam ipse adhuc fuit minorennis, quando emerat agrum à Titio, vel miles aliquis, tunc non obstante hac sua ignorantia juris certi, præscribere potuit. Prob. in *Leg. 1. 2. & 11. Cod. de juris & facti ignorantia in minorennibus & militibus* toleratur ignorantia juris etiam manifesti: ergo si Cajus fuit minorennis, vel miles; tunc non obstante ignorantia juris certi potuit præscribere. Ità judicant Molina, J. Consultus, Haunold. Illung.

Ex quatuor itaque istis con- 9 clusionibus inferimus, Cajum verè præscripsisse hunc agrum, licèt illius venditio fuerit invalida, si ignoraverit Titium, à quo emerat agrum, pupillum esse:

G 2

quòd

quòd si autem hoc sciverit, ignoraverit autem culpabiliter vel inculpabiliter, jura annullare talem cum pupillo initam venditionem, tunc attendendum est, an Cajus immemoriali, vel extraordinario tempore & longissimo præscripserit, vel ordinario? si prius, valebit præscriptio: si posterius, non valebit, nisi vel miles, vel minorennis extiterit.

Ratio universalis horum omnium est, quod acquisitio domini per præscriptionem, & translatio à vero dominio in alium totam suam vim habeat à Legibus & sacris Canonibus: ergo, si ista jura expressè requirunt, ut nulla ignorantia juris certi intercesserit, & aliqua intercessit, non potuit præscriptio fieri.

10 Objic. contra 3. conclusionem ex *Lege 7. Cod. de agricolis, censitis, & colonis.* habetur, quòd in casu, quo aliquis præten dit ignorantiam juris certi, semper præsumatur, hanc non fuisse datam: ergo dici potest, quòd omnes leges, quæ asserunt ignorantiam juris obesse præscriptioni, se fundent in præsumptione, quòd hæc ignorantia non fuerit data, ergo quando hæc præ-

sumptio est falsa, valida erit in conscientia præscriptio: Prob. illatum. In foro conscientie præsumptio debet cedere veritati, ergo si aliquis veram habuit ignorantiam juris certi, tunc potuit præscribere. Resp. transeat antec. neg. conseq. quia aliud est jura præsumere, non adfuisse ignorantiam juris certi, & aliud, quod valorem præscriptionis in hac præsumptione fundent, ità, ut, si falsa sit hæc præsumptio, præscriptio in foro conscientie valeat.

Urgent: Si jura præsumunt, nullam adfuisse ignorantiam, tunc hoc ipso nullitatem præscriptionis fundant in hac præsumptione, ergo: si hæc præscriptio non adfuit, præscriptio valebit in conscientia. Prob. ant. nullum habetur fundamentum negandi, quòd nullitas præscriptionis non fundetur in præsumptione ista, si jura ideo rejecerunt præscriptionem, quando præten ditur ignorantia juris certi, quia præsumunt quòd hæc ignorantia non fuerit data. Re/p. neg. antec. in probatione hujus neg. item antec. & pro ratio. ne hoc asserendi asserimus. *Leg. 2. §.*

2. §. 15. ff. pro emptore. hinc enim dicitur, quòd si scias, pupillum esse, putes tamen pupillis licere res suas tutoris auctoritate administrare, non capies usu, quia juris error nulli prodest. Item: Lex nunquam in princ. ff. de usucapionibus. ibi: nunquam in usucapionibus error juris possessoribus prodest. Item: Lege ita juris. ff. de juris & facti ignorantia. ibi: Juris ignorantia usucapionibus negatur prodesse: facti verò ignorantiam prodesse constat. Verbis istis expressè dicitur ignorantiam juris certi præscriptioni obesse etiam tunc, quando ignorantia talis re ipsa intercessit, & consequenter nõ solùm tunc, quando præsumitur non intercessisse.

12. Objic. 2. Quando jura dicunt, quòd ignorantia juris certi obest valori præscriptionis, loquuntur de culpabili ignorantia juris certi: ergo ignorantia inculpabilis juris certi non obest valori præscriptionis. Resp. neg. antec.

Urgent: non habetur ratio id negandi: ergo potest dici, quòd loquantur de culpabili ignorantia juris certi. Resp. neg. antec. & dico rationem esse istam. Eæ-

dem leges, quæ dicunt ignorantiam juris non prodesse, dicunt ignorantiam facti prodesse: si ergo jura loquuntur de ignorantia culpabili, tunc juxta jura ignorantia culpabilis juris non proderit, ignorantia autem culpabilis facti proderit; hoc autem est falsum, quia possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit: qui autem habet ignorantiam culpabilem facti, est possessor malæ fidei, ergo ullo tempore non præscribit: præscriberet autem, si jura de culpabili ignorantia juris & facti ibidem locuta fuissent, quia dicerent ignorantiam culpabilem juris non autem facti obesse præscriptioni, ut consequenter habens ignorantiam culpabilem facti possit præscribere.

Urgent. Potest dici, quòd jura loquentia de ignorantia juris locuta fuerint de ignorantia culpabili; quando autem locuta fuerunt de ignorantia facti, locuta fuerint de inculpabili ignorantia, ergo responsio data est nulla. Resp. neg. antec. Ratio est, quòd hoc dicendo sequeretur, quòd leges per crassam æquivocationem in eadem pene

linea ignorantiam vel errorem in sensu valde diverso sumpturint.

Urgent. Ignorantia facti est plerumque inculpabilis: juris verò est plerumque & ordinariè culpabilis, ergo jura loquentia de ignorantia juris locuta fuerunt de ignorantia inculpabili, de ignorantia autem facti culpabili, quia spectant id, quod frequentius contingit. Resp. neg. conseq. Ratio est, quia lex 2. §. 15. ff. pro emptore. hæc habet: *quod si scias, pupillum esse, putes tamen pupillis licere res suas sine tutoris auctoritate administrare, non capies usu, quia juris error nulli prodest.* In hac lege aperte dicitur talem non præscribere, si ignoravit: non autem est credibile, quòd loquatur de ignorantia hujus juris culpabili.

13 Objices 3. Contra ultimam conclusionem: Si ignorantia inculpabilis juris certi obest præscriptioni respectu aliquarum personarum, etiam oberit respectu militis & minorenis, ergo nulla est 4 ta. conclusio. Prob. antec. si respectu harum personarum inculpabilis ignorantia non obesset præscriptionis, hoc

probaretur ex citatis legibus 1. 2. & 11. Cod. de juris & facti ignorantia, sed ex his legibus nihil probatur. Prob. min. Leges istæ dicunt in tantum ignorantiam juris in his personis tolerari, in quantum ob istam non puniuntur nec damnum patiuntur in suis bonis: non verò, quòd etiam aliena sibi acquirant, quod fit per præscriptionem, ergo ex his legibus non probatur, ignorantiam juris non obesse præscriptioni in ejusmodi personis. Respond. neg. antec. in probatione conc. maj. neg. min. in hujus probatione nego iterum majorem: & ratio illam negandi est, quia jura nihil peculiare circa has personas statuerunt, si tantum id voluissent, quòd adversarii volunt: cum ignorantia juris etiam certi non noceat in damnis rei amittendæ, prout habetur in *Lege 7. ff. de juris & facti ignorantia.* ibi: *Juris ignorantia non prodest acquirere volentibus, suum verò petentibus non nocet:* cum ergo respectu harum personarum aliquid peculiare fuerit statutum, plus adductæ leges volunt, quàm id tantum, quòd adversarii volunt.

Urgent: Si ignorantia juris 14
cer-

certi non obesset militibus & minorennibus in præscriptione, tunc etiam non obesset rusticis & fæminis, consequenter etiam istæ possent præscribere, licet habuerint invincibilem ignorantiam juris certi: consequens est falsum: ergo &c. Probatur sequela maj. à rusticis & fæminis æquè parùm potest expeti scientia jurium, quàm parùm potest expeti à militibus & minorennibus: ergo etiam istis personis non oberit ignorantia juris. Resp. neg. maj. in probatione transmissio antecedente, neg. consequentiam. Ratio est, quia leges aliquæ, quas pro conclusione 3. ta. adduximus universim dicunt, ignorantiam invincibilem juris certi obesse præscriptioni: dein in legibus pro conclusione 4. ta. citatis solùm eximuntur minorenes & milites: ergo licet à rusticis & mulieribus non major scientia jurium exigi possit, quàm à militibus, quia tamen leges solos milites & minorenes, non autem rusticos & mulieres exemerunt, ideo illæ, non autem hæ personæ poterunt præscribere cum ignorantia juris certi. Quibus acce-

dit, quòd *Lex 8. de Juris & facti ignorantia* videatur saltem defæminis contrarium definire.

Objic. 4. Si ignorantia juris certi obesset præscriptioni, tunc vel obesset præscriptioni etiam extraordinariæ, seu faciendæ tempore longissimo, aut etiam immemoriali: vel tantum obesset præscriptioni ordinariæ, ac ordinario tempore faciendæ; neutrum potest dici: ergo &c. Resp. extraordinariæ & immemoriali non obesse. Ità Lessius, Covarruvias, Haunold. contra Bartolum, Molinam ac alios.

Ratio est, quòd talis ignorantia juris certi non tollat bonam fidem, neque impediatur titulum saltem præscriptum, cum hunc ipsa temporis diuturnitas pariat: talis ignorantia non potest impedire præscriptionem extraordinariam, cum ad hanc nihil aliud requiri possit, quàm bona fides, aut etiam titulus saltem præsumptus: modò res de se præscribi possit.

Urgent: Talis ignorantia non tollit quidem bonam fidem theologice talem, tollit tamen bonam fidem civiliter talem: ergo non

non potest præscribi etiam tempore extraordinario. Probatur antecedens quoad secundum membrum. Bona fides civiliter talis est, quam leges ad præscriptionem requirunt: sed hanc tollit talis ignorantia: ergo, prob. min. leges requirunt bonam fidem non fundatam in ignorantia juris certi: sed hæc bona fides non habetur: ergo non habetur fides civiliter bona. Resp. neg. antec. in probatione conc. maj. neg. min. Ratio est, quia leges civiles ex una parte voluerunt præscriptioni extraordinariæ esse locum etiam cum mala fide. Constat hoc ex lege. *Siquis emptionis. Cod. de præscript. 30. vel 40. annorum.* Ex altera parte jus civile in hoc puncto non fuit correctum à Jure Canonico, licet in aliis fuerit correctum quoad fidem Theologicè malam, seu factam cum peccato mortali: uti habetur in *cap. finali de præscriptionibus*, ergo ad præscriptionem extraordinariã juxta leges civiles sufficit fides Theologicè bona, & non est necessaria civiliter bona modò descripta.

17 Objic. 5. Medina *Cod. de re-*

stit. q. 17. circa finem. Ignorantia juris certi in foro tantum externo impedit, non autem in interno præscriptionem: ergo &c. Prob. antec. in *cap. vigilantii.* & *cap. finali de præscript.* solum mala fides excludit à præscriptione, quæ peccatum mortale constituit, at ignorantia juris invincibilis non constituit peccatum mortale: ergo non obest in conscientia præscriptioni. Resp. neg. antec. in probatione dist. antec. in prædicta lege solum excluditur mala fides Theologicè, ita tamen, ut aliæ leges etiam absentiam ignorantia juris certi requirant; conced. ut aliæ leges istud non exigant. negatur, an juridicè mala fides obfit vel non, aliis legibus, quàm *cap. vigilantii.* & *cap. finali de præscriptionibus* relinquitur decidendum.

Dices: Ignorantia juris dubii non obest præscriptioni, ergo neque ignorantia juris certi. Respond. disparitatem esse, quod dubium atque incertum jus non sit ullum jus, cum de ratione juris sit esse manifestum *arg. textus. omnis lex 4. dist.* dein ignorantia talis juris neque in conscientia, neque in foro exteriori malam fidem

fidem causare potest, consequenter neque impedire.

19 Objic. 6. Vel ignorantia juris ita obesset, ut possessor neque prescribere possit fructus, quos ex tali re percepit, vel hos potest prescribere? neutrum potest dici: non secundum, in lege enim *sed etsi lege 25. §. scire ff. de pet. hered.* invadens res alienas condemnatur ad restitutionem fructuum, qui ex eis percipi potuissent, qui verò ob justas causas aliena possideret, ad nullam restitutionem obligatur, tametsi, ut ibidem dicitur, in jure erraverit: sed neque primum potest dici, quòd talis possessor prescribat, saltem si illi jus resistat, contrarium enim habetur *Leg. 2. Cod. de petit. hered. Lege jubemus. Cod. de sacros. Ecclesiis &c.* Respondet Palao. textus legis hujus: *Jubemus &c.* intelligendos esse de mala fide presumpta, & in foro externo.

20 Objic. 7. *Cap. 9. de donat.* Monasterium, quod Prælati Ecclesiæ titulo donationis quantitatem pecuniæ majorem, quam lex permittit, acceperat, defenditur prescriptione ordinaria: ergo error juris non impedit

prescriptionem ordinariam. Respond. neg. conseq. nam in specie citati capituli non aliter admittitur prescriptio, ac si monasterium, quod ultra legis permissionem acceperat, in facto erraverit, credendo plus datum non esse, & Ecclesiæ Episcopalis fructus multò ampliores esse. Ità Francin.

Objic. 8. Licet *argum. Legis 2. Cod. de juris & facti ignorantia.* Ignorantia juris non excuset, si tamen invincibilis sit, in foro externo excusat à culpa, & à pœnis spiritualibus incurrendis: ergo similiter cum in foro conscientiæ, in quo de veritate, & de bona fide constat, cesset ea prescriptio juris, non impediatur prescriptio ob inculpatam ignorantiam juris. Resp. neg. conseq. à damno vitando malum ducitur argumentum ad lucrum captandum; culpæ ac pœnæ sunt spirituales tum temporales sunt damna, quæ ex vincibili ignorantia juris vitamus *Leg. 7. §. 8. & 9. §. 3. ff. de juris & facti ignorantia*: Beneficium autem prescriptio est lucrosus, adeoque non proficuum errantibus.

Objic. 9, Textus *in leg. 25. 21 ff. de*

H

ff. de

ff. de donat. inter virum & uxorem. & leg. 3. ff. pro damnato. leg. 3. pr. ff. pro derelicto. hic dicitur posse conjux capere rem alienam à conjuge sibi donatam, esto in jure erraverit, putans donationem inter conjuges subsistere: ergo error juris non obest usucapioni. Resp. dist. antec. esto in jure erraverit genericè conc. specificè neg. antec. & conseq. circa speciem donationis in memoratis legibus factæ, conjux non erravit in jure, quia jura donationem inter conjuges non absolute & simpliciter, sed tantum in donatoris præjudicium infringunt, si res ejus fuerit: sustinent autem, si fuerit aliena, nec ex ea pauperior reddatur is, qui donavit.

22 Objic. 10. Textus in lege 25. §. 6. *ff. de hered. petit.* ubi negatur esse possessor malæ fidei, qui in jure errat, ergo ignorantia juris ne quidem constituit in mala fide juridica. Resp. dist. antec. negatur esse possessor malæ fidei, si agatur de damno vitando conc. si de lucro captando neg. antec. & conseq. Lex objecta loquitur de fructibus percipiendis, & illis, quos possessor

hæreditatis absque lucro percepit, & consumpsit, respectu horum ignorantia juris ipsi non obest, quia damnum declinare studet: at verò in ordine ad præscriptionem non censetur possessor bonæ fidei; cum certa lege constitutum sit, errorem juris non prodesse in compendiis *Leg. 8. de juris & facti ignorantia.* Ità Francin.

Objic. 11. Eo modo ignorantia juris obest usucapioni, quo modo ignorantia facti eidem prodest. *Leg. 4. ff. de Jur. & facti ignorantia.* sed in foro conscientiæ ignorantia facti non prodest, si sit culpabilis, licet in foro externo ex præsumptione inculpabilitatis proficit: ergo etiam in conscientia ignorantia juris non obest, si sit inculpabilis, licet in foro externo ob præsumptionem inculpabilitatis obstat. Resp. neg. maj. idem enim modus utriusque ignorantia non exprimitur in dicta lege 4. ta. certè discrimen maximum esse inter unam & alteram, optimè notavit Palao *d. §. 8. n. ult.* eò quòd ignorantia facti frequenter contingat inculpabilis, non verò ignorantia juris. *Leg. 9. §. 3. ff.*

3. ff. de Juris & facti ignorantia. Cum igitur leges attendant ad ea, quæ sæpius accidunt, absolute affirmant in d. lege 4. ignorantiam juris obesse præscriptioni, ignorantiam facti autem prodesse. Rationem rationis assignat Peckius ad d. c. 82. de Reg. Juris in 6. quia jus finitum est, certisque regulis conclusum, adeoque ignorari non debet. Leg. 9. Cod. LL. contra facta infinita sunt, quæ facile justam ignorantiam causam admittunt. leg. 2. ff. de Juris & facti ignorantia.

24 Objic. 12. Quod lex annullans præscriptionem cum errore juris certi factam non sit merè pœnalis, sed obliget etiam in conscientia, omnino sine ratione dictum. Resp. neg. ratio enim hæc est: omnis lex justa in foro externo si non sit pœnalis, nec fundata in falsa præsumptione, est etiam justa pro foro interno, sed præsens est talis. Probat, si præsens lex civilis fundaretur in falsa præsumptione malæ fidei, tunc judex etiam in foro externo deberet judicare pro præscriptione, casu, quo actor opposita præscriptionis exceptione fa-
teretur, adversarium invincibi-

liter ignorasse jus: atqui hoc non fit, cum inspecto solo titulo à juribus reprobato exceptio præscriptionis repellitur. Major patet ex eo, quia præsumptio juris & de jure ob confessionem tamen adversarii, missa præsumptione judicatur secundum rei veritatem.

Quod autem lex ista in foro externo sit justa, probant rationes, ob quas fuit lata, in se justissimæ, hæc autem ipsæ quoque ostendunt, eam non esse pœnalem, commune scilicet bonum exigebat, ut tales præscriptiones cum invincibili juris ignorantia factæ irritarentur, eò quod hac ratione facilius ipsæ lites terminentur, præcidatur multitudo litium præcisa spe evincendi in judicio per ignorantiam juris. Accedit, quod taliter nulla occasio fraudibus & peccatis datur: cum igitur L. 31. princ. ff. de usucap. L. 4. ff. de juris & facti ignorantia Lex 2. §. 15. ff. pro emptore. irritaverit præscriptionem stante juris clari ignorantia sit universalis, nec ad solum forum externum restringat, hinc etiam in interno locum habet. Confirmat. vi Legis 25. §. 7. de
petit.

petit. *Legis 2. Cod. de fructu, & litis expensis.* voluerunt Leges ex civili ratione possessorem in facta mala fide constituere, quoad fructus post litis contestationem: ergo etiam potuerunt, & voluerunt eadem possessorem ob juris clari ignorantiam in mala facta fide constituere, privantes commodo præscriptionis, ut homines scilicet diligentiores in jure hoc negotium concernente addiscendo, & intelligendo evaderent.

25 Objic. 13. Præscriptioni immemoriali non obest juris certi ignorantia: ergo neque alii. Probat. conseq. nulla lex ostendi potest, quæ in præscriptionibus extraordinariis non requirat, ut hæc sine ignorantia juris certi fiat. Resp. adesse legem: *Si quis emptionis. Cod. de præscriptione 30. vel 40. annor.* hæc enim voluit præscriptioni extraordinariæ locum etiam cum mala fide esse,

Nec dicas, hanc legem jam pridem esse abolitam: contra enim est: ex hac lege simpliciter constat, ad præscriptionem temporis extraordinarii à lege civili non requiri bonam Theologicè fidem: ergo juxta illam multò minùs requireretur bona juridicè seu facta cum ignorantia juris certi. Lex autem ista in jure Canonico tantùm fuit abrogata quoad fidem Theologicè malam: ergo quoad civiliter malam adhuc subsistit, & in præscriptione immemoriali ipsum tempus est titulus præsumptus, ergo bona fides & titulus haberi possunt absque titulo à jure reprobato, hoc; cum in præscriptionibus temporis non immemorialis haberi nequeat, hinc non est paritas intra immemorialem, & non immemorialem usufrucapionem quoad ignorantiam juris clari.

